

reliquis floribus antecellit; unde Græcè dicta *pod'or à p'ov*, id est, *fluere*, quòd odoris redundantia diffuatur, ait Plutarchus: & propterea ab eodem Anacreonte appellatur *Rosa* *flos, odorque divinum*: forsàn quòd suave spirantis odoris fragrantia velut quiddam cœlestis, ac divinum redolet. Ovidius 4. Fastorum:

Anacreon.

Omnia finierat, tenues secessit in auras, Mansit odor, posses scire fuisse Deam.

Ovid.

Vide nostrum de la Cerda ad illud Aeneidos 1. *Ambrosiaque comæ divinum vertice odorem Spiravere, &c.*

Virg.

Subinde Jerichuntinum tractum Rosis amœnissimum appellavit Josephus l. 15. captæ Judææ c. 4. *Divinum*: Siquis dixerit divinum esse illum tractum, non erraverit. Rosa igitur appellatur Christus ob jucundissimum divinitatis odorem, odor illi competit jucundior quàm Rosæ; flos est odorque Dei: fragrantissimè spirabat, ut non nisi cœleste putaretur Numen. Recole cæteras dotes in enodatione textus prælibatas; omnes & singulæ in Christum cadunt bellissimè, & ipse eas in Franciscana Familia maximè ostentat, quasi in Jerichuntino Tractu, vel hac una de causa, divino, divinisimo; in quo gloriosissimè exaltatur, seu nutritur quasi plantatio Rosæ.

Josephus.

1794 Rursus, cum, ex nonnullorum mente, exaltatus dicitur Christus Dominus, quasi stirpes Rosæ, vel plantæ Rosarum, non in se ipso dumtaxat, sed in suis etiam cultoribus; quibus quod in se habet, elargitur: Quasi plantatio Rosæ in Jericho est (ait Rabanus Fuldenis Abbas) cum odor virtutum in sanctorum Verbum exaltatum, ac nutritum dixeris in uno Francisco, unaque ejus numerosa prole, cujus sublimissimum vitæ institutum si fedulò inspicias, facillè deduxeris, in illis Christum respicere ut gratissimam suaverubentium Rosarum plantationem, visu pulcherrimam, & odoratu suavem. Hic expendas pulchra divini Sponsi verba Cant. 2. 1. *Ego flos campi, & lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Multi transferunt: *Ego Rosa campi.* Vulgatus verò, & LXX. retinere nomen generale, quia Rosa optimè; flos; quia flos florum regina. Unde Tigurina: *Ego sum Rosa Saron.* Polleriora verba sic à multis ex Hebræo fonte effertur: *Sicut Rosa inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ita Abrahamus Esdræ in interpretatione Dramatis, Anonymus, Chaldaeus, Munsterus, Galatinus lib. 7. c. 5. Tuccius Tuccius, S. Thomas à Villanova in c. 2. Cantici Cantorum, S. Nyssenus Hom. 4. & alii Ecclesiæ Patres. Dixerat paulò antè Sponsa, floridum esse utriusque lectum: *Lectulus noster floridus.* Quem floridum esse nonnulli arbitrantur, quòd in horto florido stratus. S. Bernardus Serm. 46. in Cantica putat per lectulum designari Religiosorum claustra, & monasteria, in quibus quietè à curis vivitur sæculi, & solitudinibus vitæ. Floridum verò appellari existimat, quòd exemplis, & institutis Patrum, tanquàm quibusdam bene olementibus respersa floribus fructum conversatio, & vita resurgat. Ut autem Sponsus ostendat, unde potissimum Religiosa monasteria ad instar sint floridi lectuli, continenter subtextit, se esse Rosam campi, quæ est omnibus pervia, & communis, Religiosis tamen ad specialem imitationem nata, vi-

Commune Christo cum Franciscano Ordine nomen rosarum, & quare. Raban.

Cant. 2. 1.

Quæritur lectulus floridus, religio- sa claustra.

denda, adoranda. De Christo Cruci suffixo enodat Bernardus Serm. 47. *Ipse flos campi, S. Bern. Martyr foras civitatem educus est, in ligno elevatus est, spectandus hominibus;* Religiosis signatim, Franciscanis, ut nos putamus, cum quibus commune sibi voluit esse Rosa nomen: à Christo enim crucifixo, qui Rosa est, id Franciscus ejusque Familia habent, ut illi quoque Rosa sint.

§. V.

Franciscana Familia, ut rosa inter spinas, ob mundi contemptum, & vitæ asperitatem.

1795 Propterea subdit: *Sicut Rosa inter spinas, sic amica mea inter filias.* Quod præclare illustrat Honorius Augustodunensis apud nostrum del Rio; *De Ecclesiæ perfectorum inter imperfectos, decore vitæ, & odore doctrinæ. Perfecti dicuntur, quia omnia mundana reliquerunt, dicente Domino: Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Quid pro Minorum Ordine, & instituto opportunus? Concinit S. Gregor. Nyssenus Hom. 4. Sicut Rosa inter spinas, sic soror mea (sic ille legit) inter filias. Postquam ergo facta est flos, neque à spinis lesa fuit tentationibus, obliata populis, & domus Patris, & Matris suæ, aspexit ad verum Patrem, & ideo vocatur soror Domini. Nonne hoc illud est, quod de Francisco Minorum Institute legitur & in ejus alumnis, quasi hæreditario jure acceptum admiramur? qui suæ conversionis initio, depositis omnibus vestimentis, restituit ea carnali Patri, sic renuntians bonis omnibus mundanalibus. Tunc quidem ex admirando fervore, S. Bonav. spiritu ebrius, rejectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad Patrem: *Usque nunc vocavi te Patrem in terris, amodo autem securè dicere possum: Pater noster qui es in caelis: apud quem omnem thesaurum reposui, & omnem spei fiduciam collocavi.* S. Bonaventura in ejus vita c. 2. Honorio, & Nysseno ad stipulatur S. Nilus in Ascetico. *De animo perfecto dicitur, Sicut lilium inter spinas: hoc autem illum inter curas tranquille degentem indicat: lilium enim & in Evangelio quietum animum, & minime sollicitum significat: non laborant, inquit Dominus, neque nent. Et universim, cum Christus Rosam se nominet non vallo confictam, sed liberiori aurâ fruentem media in planitie; omniumque viatorum aut favori, aut injuriæ obnoxiam, atque in omnes sui odoris fragrantiam halantem; Christo quàm simillima extat Franciscana Familia, omnium aut favori, aut injuriæ obnoxia, ad omnes bonum Christi odorem, nempe Crucifixi sanguinem, tormenta, & merita derivans, utpote Crucifixorum Religio, & inter spinas, inter incommoditates, molestias, & martyrii tormenta ab externis oblatas, Rosæ.**

S. Nyssen.

S. Bonav.

S. Nilus.

Vi rosa inter spinas Franciscanus Ordo ob vitæ asperitatem.

Ose. 2. 6.

tuas

tuas spinis. Rosa enim, quæ est planta, cuius flos est fragrans & nobilis, spinosa est, & spinis clauditur. Certè eò spectasse videtur Chaldaica Paraphrasis, sic Cant. verba effert: *Ego comparata sum Rosæ, quæ germinat inter spinas, à quibus perforantur, & rumpuntur folia ejus.* Talis extat Minorum Familia, sicut Rosa inter spinas, inter artissimæ, & austerissimæ vitæ aculeos, quibus folia, id est, corpora perforantur, atque rumpuntur, conservatâ sic venustiore, amabiliore, & illibatâ Rosæ, id est animæ perfectione. Nonne spinæ Rosarum extant asperitas habitus & tenuitas, pedum nuditas, crebra jejunia, lectuli austeritas, & multæ aliæ corporis afflictiones? Certè hac etiam de causa ultrò in hunc Religiosum Ordinem veniunt illa, quæ in ejus commendationem supra expendebamus Cant. 7. 2. verba. *Venter tuus sicut tritici ager vallatus rosis: quasi sepimento, quod vocant vivum, ex spinis Rosarum horrentibus, & optimum est ad agri munimentum, ut Varro observat 1. de re rustica, c. 14. Primum naturale sepimentum quod obferi solet virgulis, aut spinis, quod habet radicem vivæ sepi. Quod in usu fuisse in Palestina in agris, hortis, vineis, quæ paulò accuratius, aut indulgentius ab agricola curantur, docet Isai. 7. 21. Verè numerosa Francisci proles, tritici ager vallatus, vel sepius (ut legit Ambrosius) Rosis, aut plantatione Rosarum, quòd vivum extat spinosum sepimentum ob austerissimæ vitæ institutum, quod nulli alteri cedat, efficiatque ne lascivians caro splendorem animæ commaculet, atque odorem perdat; sed ad instar Rosæ suaveolentis, & suaverubentis vernet: *armat spina Rosas;* quæ ex Venere spinis finguntur genitæ: *Sola Rosas potuit gignere punda Venus.* Hinc dumetum spinarum vitans S. Franciscus anno Domini 1222. spinasque exosculans, eisque signum Crucis imprimens, miraculo dumetum in rosetum pulcherrimum Rosarum ferax convertit, quæ etiam nunc perdurant. De quo Waddingus in Anal. Minorum anno 1222. num. 5. & ex eo noster Cornelius ad c. 24. Ecclesiastici. Quasi Franciscanæ vitæ austeritas instar sit non dumeti spinarum, sed rosei suaveolentium Rosarum: unde enim punguntur, inde Rosæ nascuntur, quibus condecorantur, & coronantur Francisci alumni. Ut multas alias efformes mysticas allegorias & collationes Franciscani Ordinis & Rosæ, vide hujus floris encomia in enodatione textus prælibata. Et observa quod de Ludovico Primogenito Caroli II. Regis Siciliae, ideoque S. Ludovici Regis Franciæ nepote, scribitur in ejus vita 19. Augusti apud nostrum Ribadeneiram. Nempe, spreto Regno, nomen dedit Franciscanæ Familiæ, indeque à Bonifacio VIII. creatus Episcopus Tolosanus: moriens visus est Rosam ex ore emittere, ut qui ex Francisci roseto, & merito Virginitatis conspicuus.*

Chald.

Cant. 7. 2.

Varro.

Septa spinis Franciscana Religio.

Dumetum in rosetum à Francisco conversum.

S. Ludovici Regis Franciæ nepos.

Rosa ex ore ejus.

§. V.

Alia Franciscani Ordinis encomia.

1797 Ursim tamen nonnulla alia attingo in hujus Ordinis commendationem, qui mihi semper cordi fuit. In primis, de

Jerichuntis Rosis scribitur, eas copiosè ac pulcherrimè in eo Tractu provenire, quia irrigantur saluberrimis & sacundissimis fontis aquis, quas Elifæus, adhibito sale & benedictione, miraculosè sanavit, cum putres antea essent, & olidæ, pestilentes, & exitiales. De quo 4. Reg. 2. 19. Josephus lib. 4. belli c. 27. Saligniacus Tom. 9. c. 6. & hic Interpretes sacri. Nonne apud Isaiam c. 12. 3. legisti: *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris?* Hebraicè, *de visceribus Jesu.* Nonne Zachariam audisti sic prædicentem cap. 13. 1. *In die illa erit fons patens (Hebraicè, apertus) domui David, & habitantibus in Jerusalem?* quod de aperto Domini latere, à quo sanguis & aqua promanant, Rupertus & alii illustrant. En tibi verus veri Elifæi (qui Dei salus, aut Deus salvans sonat) fons abundans, saluberrimus, & ad irrigationes uberrimus, fons aquæ salientis in vitam æternam, fons sanguinis perpetuò scaturientis: fons quidem, qui jugi aquâ jugique cruore Franciscanam Familiam fecundat & rigat, ut, quasi Tractus Jerichuntinus, nobilissimis Rosarum plantis sanguineo splendore suaverubentium exuberet. Ut verò Christus hunc hortum suum admirandum in modum ad rosarum copiam irrigaret, voluit ut Protoparentem haberet, totum in Crucifixi Jesu similitudinem transformatum, & quinque passionis Dominicæ rubris cicatricibus, quasi totidem Salvatoris fontibus, unde non semel sanguinem effundebat, splendide condecoratum & obfirmatum.

Isai. 12. 3.

Zach. 13. 1.

Jesu fontis sanguinei Franciscanæ Religioem irrigant & fecundant.

Cant. 4. 12.

1798 Ut propterea Franciscana religio, Religiosa illa extet Sponsa, de qua Cant. 4. 12. *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ Paradisus.* Ubi noster Sanctus rectè arbitratur, similem hic vocari sponsam Jerichuntino viridario ad omnes delicias accommodato: unde dicitur Ecclesi. 24. *Quasi plantatio rosæ in Jericho.* Hortus appellatur Minorum Ordo, ut qui exquisitis Rosarum plantis, id est, Apostolicis virutibus, confitus. *Conclusus* verò, quia nihil inde mundus, nihil caro, nihil futilis alia, atque inanis ratio decerpit. *Fons* etiam signatus, seu sigillatus dicitur, imaginis Dei signaculis, uti explicant Ambrosius l. 2. de Virginibus, tres Patres apud Theodororum, Gillebertus Serm. 35. & alii. Cur non Franciscum fontem compelles rubicundis Christi stigmatibus signatum, sigillatum: fontem quàm maximè purum & limpidum in meditullio suæ Familiæ perenniter scaturientem, ut instar Jerichuntini viridarii, sacunda reddatur & amœna tot Rosarum plantationibus, quot alumnis: idcirco addit: *Emissiones tuæ Paradisus.* Hebraicè, *planta*, seu *propagines plantarum*, quæ odoris suavitate se produnt, quasi Paradisus quidam. Usurpavit autem hoc nomen *emissiones*; ut plantarum in crescendo felicitatem & festinationem denotaret; affert enim (ut noster observat Alcazar) vox illa vim ingentem, qua germina & flores protrudit planta: nempe similem in crescendo felicitatem & festinationem Franciscana habuit Familia perenni illo fonte irrigua. Pro *emissiones tuæ* effert Victorius Schalach Hæcurensis Maronita ex textu Chaldaico, *Apostolatus tuus.* Et Philo Carpatius: *Per emissiones Paradisi, quæ amœnitas dicuntur, sanctissimi*

Etissimi Apostoli: quæ est etiam S. Nysseni interpretatio Hom. 9. in Cantica, ubi emissiones de Missionibus Apostolorum ad mundi conversionem explicat. Ad has planè singularem Dei providentiæ evocati sunt Francisci alumni, zelo accenti animarum, virtutum & doctrinæ meritis clari, Crucifixi Jesu amore ferventes, & ad omnem patientiam indurati, non absque ingenti orthodoxæ Ecclesiæ incremento. In cujus rei argumentum expendendum tibi relinquo, & indigito caput Isaia 61.

1799 Deinde venustissimum est, & ad rem opportunum illud Rosæ & Arietis symbolum, cujus meminit Brixianus in suis commentariis symbolicis verbo Rosa n. 15. ex Vincentio Ruscelo in Insigni Verginii Orsini. Videlicet Rosæ nondum apertæ, quæ habeant supra se arietem cæleste signum cum verbo obsequiosus, id est, benevolus, & benignus, significat hominem juvenem nondum ætate firma, qui demonstrat, se, cum tempus adierit, appariturum mundo cum favore verni temporis, ac veluti Rosâ virtuosus operibus de se gratum odorem editurum. Cedant humana divinâ, profana sacris. Franciscana Familia novella adhuc & primitiva, ad instar plantationis Rosarum fuit, quæ nondum ex semihulca vaginula eruperunt; nondum rubentia, rutilantiaque folia explicarunt; sed spem faciunt, se mox amictus in sinum collectos exsinuaturas, & videntis calathi honore patefacto aureum seminis inclusi crocum ostentaturas, verno sub tempore, quo Sol cæleste Arietis signum ingrediens, annum inchoat mense Martio secundum Astrologos. Etenim cæleste Arietis, seu agni signum (uterque eadem voce Hebræa car significatur) Christus in cruce immolatus est, quem votis excitabat Isaia c. 16. 1. Emitte agnum (Hebræicè arietem) Domine, Dominatorem terræ de petra deserti ad montem filia Sion: & quem prænuñtiavit Agnus ille Paschalis immolatus ab Hebræis ex Dei præscripto in mense anni primo Nisan, nostro respondente Martio & Aprili. De quo Exod. 12. Quo etiam tempore verno ac florido verus Agnus Jesus ad Crucis aram venit immolandus totus floridus & Nazareus. Hoc igitur cæleste Arietis, seu Agni signum supra se habuit statim ab ortu suo Minorum Religio, Christus cruci suffixum benevolum & benignum; qui Francisco apparuit non semel, ut S. Bonaventura scribit in ejus Vita c. 1. 2. & 13. & spem fecit, Familiam suam instar amoenissimi cujusdam viridarii futuram, in qua plantationes Rosarum multæ, quas ipse aleret, viresque ministrant, ne elanguerent, deficerent, & marcescerent, gratiam amitterent, venustatem & amoenitatem, sed pulchrius in dies, numerosiusque florent, & gratum Crucifixi odorem affarent quoquersus longè spargendum.

Isai 16. 1.

Christus Francisco sape apparuit spem faciens de futura sua Religio- nis gloria.

Psal. 64. 12

S. Nazianz.

12. Benedices corona anni benignitatis tuæ; & campi tui replebuntur ubertate. Annum benignitatis appellat tempus gratiæ universum. Corona benedicta vocatur Christus Dominus, quo ille annus coronatur: propterea appellari Agnum amiculum Exod. 12. putat S. Nazianzenus orat. 2. Paschæ: Agnus amiculum, ut Sol justitiæ, atque item ut benignitatis corona benedicta; à quo profuit in nos omnis Dei benedictio, ut Paulus ait ad Ephes.

1. 3. En tibi Arietis, seu Agni signum divinissimum sub verno tempore, in quo Agnus amiculum immolabatur: signum planè benevolus, benignus; à quo annus benignitatis dicitur, sive, ut legit S. Athanasius, annus facienditatis. S. Athan. Eapropter subtextit: & campi tui replebuntur ubertate. Pro campi tui est Hebræicè, vestigia tua, vel semina tua, quæ præ se ferunt arctam vivendi rationem, qualis Franciscani Ordinis, in quo signatim ipsa Dei corporati & crucifixi vestigia apparere dixeris; illa nempe, de quibus Petrus 1. Epist. c. 2. n. 21. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Ex his vestigiis Rosæ erumpunt; cadit enim in Christum verissimè illud Persii Sat. 2.

1. Pet. 2. 21.

Persius.

Quidquid calcaverit hic, rosa erit. Vestigia Christi Rosæ sunt, Francisci alumni sunt, quibus, dum Dominicis insunt vestigiis, datum est, ut quidquid ipsi calcaverint, Rosa sit, quasi venum tempus adsit, cum illi adsunt. Ipsa sic Gentilismi deserta & steriles agri, olim quidem spinis scatentes, nunc florent, vernant, & Rosis picturantur ex nuda Franciscanorum planta erumpentibus; quod prædictum ab Isaia putaveris c. 52. 7. Quam pluri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem; annunciantis bonum, prædicantis salutem. LXX. habent: LXX. id est, sicut hora super montes pedes. S. Cyrillus copar accipit pro vere: ac si dicat: sicut ver super montes pedes. Ut enim verno tempore flores erumpunt, terra amoenitate & viriditate circumvestitur; sic, Apostolicis Francisci alumni rudes & incultas regiones peragrantibus, ut eas Evangelii doctrinâ instituerent & Christo stipendiaris facerent, & mancipatas, illæ omnino in flores, lilia, & rosas erupere. Olim Moyses arenosum maris rubri litus calcando in viridarium quoddam amoenissimum convertisse, nonnulli arbitrantur, testante divinâ Sapientiâ c. 19. 7. In mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio. Sic longè melius Franciscanorum pedes incultum & horridum Gentilitatis desertum in lilia, in violas, in rosas commutarunt, feceruntque vernare omnia, & florere cælestibus virtutibus, & ornamentis.

§. VI.

De exaltatione Deiparæ in hoc Religioso Ordine Marianæ immunitati addictissimo.

1801 IN primis, ad Virginem magnam Matrem illa quoque spectant verba: Exaltata sum quasi plantatio Rosæ in Jericho. Rosæ Jerichuntinæ similem se prædicat: quod adeo verum extat, ut Syrus efferat: & sicut Buphthalmus in Jericho. Est autem Buphthalmus planta quædam ad aquas germinans, & Rosas proferens purpureo conspicuas colore, quas Arabes vulgariter appellant Rosas Mariæ. Adde ex Bartolomæo Saligniaco seculi Apostolicæ Prothonotario, equestris Ordinis aurato milite, & Juris utriusque Professore Tom. 9. Itinerarii Jerosol. c. 6. & ex Christiano Adrichomio in Theatro terræ sanctæ in Benjamin n. 63. ex Paulo Palatio, Cornelio, & Oliverio in c. 24. Ecclesiastici; Rosas Jerichuntinas ex spinosa planta ad Elisei fontem provenire mirandi effectus. Noctem

Jerichuntina Rosa symbolum Deiparæ Syrus.

Rosa Mariæ

Rosa Chinenfis.

Virgo Rosa à Patribus appellata, cui spinæ non nocent.

S. Bonav.

S. Damasc.

Fulbertus.

Sedulius.

S. Bernard.

Adamus Victor.

Spinâ sumus cruentati; Sed tu spinæ nescia.

Ex iis locis claret, Deiparam Virginem non solum esse plantationi Rosarum quam simillimam, sed Rosam esse spinarum nesciam, id est, à peccato immunem, quod Evam pupugit, quo nos ipsa Eva vulneravit, cruentavit; uti latè ostendimus supra prementes illud Cant. 2. Sicut Rosa inter spinas, sic amica mea inter filias. Dum verò Dei Genitrix, Rosa absque spinarum aculeis prædicatur, cum intutus sit ad id, quod S. Basilus testatur Hom. 5. in Hexæm. Rosam ante primævum delictum spinis caruisse. Quod sentit etiam Procopius Gazæus in cap. 1. Genesis. Itaque in pœnam peccati, Rosæ pulchritudini adjuncti sunt asperi illi aculei. Quapropter, cum B. Virgo sine spinis Rosa appellatur, plantationi Rosarum tunc in statu innocentia sine spinis erumpentium assimilatur, ut quæ originalis culpæ nescia, & splendore justitiæ conspicua. Adde pro hoc immunitatis Marianæ hieroglyphico, Rosæ radicem validam esse contra serpentem, hujusque morsum irritum facturum, qui radice Rosæ præmuniatur, uti scribit Cassius Dionysius Uticensis gravis & antiquus Auctor ante Varronis ætatem lib. 13. de Agricultura cap. 8. ex Tarentino: Eos, qui à serpente morsum sunt, radicem Rosæ alligant servare. Gesnerus etiam lib. 5. de Reptilibus, Rosæ efficacitatem adversus Serpentes commendat. Aptum Marianæ Conceptionis symbolum: ab illis enim primis originis radicibus B. Virgo pulcherrima exiit Rosarum plantatio serpenti adversa Tartareo.

Mariæ Rosa à peccati spinis immunis.

Cant. 2.

Rosa radice valida contra serpentem.

Cassius.

Originaria Maria immunis.

P. Sanctius.

3. Reg. 2.

1804 Rescribam hîc pulchrum commentarium nostri Gasparis Sanctii sapientiæ prælu- stris, & pietate in Deiparam præclari. Sic ille ad cap. 2. Cant. vers. 2. numero suo 5. Sanè B. Virgo Ecclesi. 24. similis esse dicitur plantationi Rosæ in Jericho, ubi aquæ, quibus irrigantur rosaria, amare esse dicuntur, pessimæ, atque mortifera 3. Reg. 19. & vers. 27. Ubi cum Eliseus in fontem saltem misisset, addidit: Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque sterilitas. Non ergo sine causa B. Virgo illi comparatur Rosæ, quam alunt, & rigant Jerichuntina rosata; quæ cum ex plantis sit, quæ in terra pessima nascuntur, & succum trahunt mortiferum ex mortifero fonte, quo rigantur; ipsa tamen nihil habet tetrum, nihil quod mortem oleat, nihil vicinum, aut affine morti. Hactenus magnus ille Pater; ut, ipso applaudente, consistet, bellissimum esse Virginæ immunitatis emblema Jerichuntinam Rosam. Jam ergo expendamus, quo jure prædicetur Deipara gloriosissimè exaltata in Franciscano Ordine, quasi plantatio Rosæ in Jericho.

1805 Et quidem Virgini Matri additissimam fuisse hanc Familiam, vel à suæ institutionis exordio in ejus Institutore Francisco ostendit S. Bonaventura in vita S. Francisci c. 9. Matrem Domini nostri Jesu Christi indicibili complectebatur amore, eo quod Dominum majestatis, fratrem nobis effecerit, & per eam sinus misericordiam consecuti. In ipsa post Christum præcipue fidens, eam sui ac suorum advocatam constituit, & ad honorem ipsius à festo Bonaventuræ Apostolorum Petri & Pauli usque ad festum Assumptionis, devotissimè jejuniabat. Hoc in Deiparam succensus studio Templum illi edificavit in loco, qui Portiuncula vocatur, unde

R r unde

1802 Consonant Ecclesiæ Doctores, qui passim Deiparam Rosam compellant. Sanctus Bonaventura Minoritarum gloria sæpè in Litanis Virginis, & in speculo cap. 2. & in Opusculo inscripto Laus Maria.

Rosa decens, rosa munda, Rosa recens sine spina, Rosa florens, & facunda, Rosa gratiâ divinâ Facta calorum Regina.

Adludit ad veterum voces, à quibus Rosa flos florum & florum Regina prædicatur, ut in evocatione textus statumus. A S. Damasceno Orat. 1. de Nativitate, Maria vocatur Rosa ex spinis Judæorum nata. In operibus Fulberti Carnotensis versiculos hoc legimus: Sicut spina Rosam, genuit Judæa Mariam. Ut vitium virtus operiret, gratia culpam. Decantatissima sunt Sedulii carmina antiquissimi Patris in lib. 2. Operis Paschalis. Ea clarius idem Sedulius soluta oratione, veluti secundâ cura, distinxit, in Opere, quod Juretus ex Pithæi verus Codice in lucem dedit.

Et veluti Rosa suavis (ait Sedulius) atque mollissima de spinoso cespite nascitur, nihil læsuræ matrem, quam gratia jucunditatis obscurat: ita de spina nocentis Evæ Maria sacro veniente cum lumine, prima Virginis lumen sequens Virgo diluere. Quasi dicat: Quænammodum rosâ pulcherrima, atque odoratissima ex spinosa planta florebit; nullum propriæ plantæ infert nocumentum, imò eximiam gratiam, ac venustatem. Ita ex Eva spinosa, ac senticosa stirpe Maria dum prognata cælesti splendore, divinoque nitore præfulget, nullum intulit Matri detrimentum; allatura certè, si peccati spinam ex Matre transisset, quem utpote matris ipsius pro antiquo scelere indicta pœna, etiam in filia matrem plexisset, ac proinde non omnino nihil læsisset.

1803 Pulchrè etiam & ubertim S. Bernardus in Sermone de B. Maria. Eva spina fuit; Maria Rosa exiit. Eva spina vulnerando; Maria Rosa omnium affectus mulcendo. Eva spina insignis omnibus mortem; Maria Rosa reddens salutiferam omnibus sortem. Maria Rosa fuit candida per Virginitatem, rubicunda per charitatem; candida carne, rubicunda mente: candida virtutem sectando, rubicunda vitia calcando; candida affectum purificando; rubicunda aeternum carnalem mortificando: candida Deum diligendo; rubicunda proximo compatiendo. Audiendus quoque Adamus Victorinus Bernardo ferè coævus in Carmine de B. Virg. Assuptione:

Salve Verbi sacra Parens, Flos de spinis spinâ carens; Flos spineti gloria, Nos spinetum, nos peccati P. Ildeph. de Flores in Ecclesi.